

ministrum : nempe à principio , duabus è præcipuis Regni Prouin-
ciis , Aquitaniæ primum , ac subinde Occitaniæ dedit rei iudicia-
riæ missum à Rege cum amplissima potestate Præfectum : Ubi
difficillimis quidem temporibus , omnia sic mire temperasti , vt
Regiam authoritatem , commodaque simul Reip. potiora , con-
siliis tuis , tua prudentia , magnitudine animi tua singulari strenue
tutatus , omnia foeliciter composueris magna pace ; pacificus tu ipse ;
vtpote (quod mirum , & insignis clementiæ argumentum est) gla-
dio , quem tua tibi dignitas dabat , nunquam vsus. Tua scilicet
ista dominatrix atque triumphatrix mansuetudo præludium fuit,
& auspiciū Episcopatus : & Tua Te Sapiencia ex tunc erutum ab
sæculi strepitu , ipsique ereptum terræ consecrauit inferendum
Ecclesiæ cœlo sidus inter clarissimos Antistites fulgentissimum ;
effecitque ut quasi diceret Rex , dum Te in Prouincias mitteret,
[Vade age non vt Iudex , sed vt Episcopus ;] moxque gratissimum
haberet , delectum à se Iudicem , Ambrosij magni instar [postu-
lari ad sacerdotium :] quapropter id totum quod Lodouensi tunc
Ecclesiæ præpositus es Episcopus , illius vere opus fuit , quæ Tibi
effuse data à Deo est , Sapienciæ. Et hæc insuper est , quæ subinde
Tuis omnibus hinc vitæ , hinc rerum institutis foeliciter adeo præ-
fuit in Urbe , quæ Caput est mundi , vbi apud Sanctissimum ne-
gotia nomine Regio peregisti grauissima æque ac difficillima , vt
è foelicissimo successu agnitus fueris vtrique Potestati vir totius ævi
primarius rebus mature gerendis , componendis , concludendis præ-
stantissimus. Hæc ipsa præterea est sapientia , quæ deinceps Te ad
Illustrissimam , in qua nunc auspiciatissime sedes , Montispeulani
Ecclesiam prosequuta , Tuo præsertim adfuit , & patrocinata est
zelo ; effecitque vt in ea foeliciter ac breui christianam optimis
institutis vbique Pietatem instauraueris , contuderis vitia , represseris
viuendi licentiam effrænem ; ipsamque ferocientem hæresim
sic oppresseris , vt eius demum deleueris templa quinque , ac præ-
sertim vnum in vrbe primaria ; suppresseris etiam pluribus locis
Magistratus , & Consules Partium hæreticarum : Calvinistis qui-
dem vniuersis hinc suspicientibus , atque reuerentibus in Te mores
inculpatæ vitæ probatissimos ; hinc solidissimæ vim doctrinæ im-
mensam reformidantibus ; Populis vero Tuis vitæ normam &
exempla fumentibus ex Te ipso : quibus prout ades omni sollici-
tudine , sacras agis conciones indefessus non modo copiosa rerum
omnium doctrina splendida ; verum & mire feruidas ardore spi-
ritus in vitia detonantis , & incitantis ad virtutem , sanctiori veriori
christiana eloquentia ; præsertim cum non aliud , ipso autore
Tullio , sit eloquentia , quam [copiose loquens Sapiencia .] Fre-
quens Dioecesim Tuam lustras per Te ipsum , & Tuarum simul